

providaque Ministra, & vidi, & magno meo deinceps, aliorumque commodo, expertus sum. Mutuae tum animorum inter Patres consensiones, inter praelustria aulae sidera, & Academiae ornamenta, pulcherrima conspiratio, Cives optimi, in partes minime scissi, & si foras quoque dimicandum esset, nullum, quod intestinum dici debuisset, serpebat malum, quin, iunctis potius viribus, sic opus Domini agebatur, ut Academia floureret, Asylum hoc veritatis, vel remoti longius sectarentur, optimique parentes filiis prospexisse satis, confiderent, quos Vitembergae nutrir, absque periculo, & solide, recordari possent. Est haec recensita nobis felicitas temporum eiusmodi, ut imminere ei, studere etiam, quibus fieri id viribus possit, reducere quoque alibi, si quando paulisper recessisse visa sit, hic labor esse maximus, haec contentio omnium maxime insignis esse merito videatur. *Eιρηνην* fusius alicubi in Glossario recenset Meursius, verba scilicet Diaconi extra tabernaculum, Sacerdote in illo orationem dicente, quo de ritu Chrysostronus, Codinus, aliique exponunt, & preces adeo has pro pace, (ob singularem nexum *συναπτάς* quoque vocabant) mire commendant. *Eιρηναρχας* quoque, Praefectos pacis, quos, praeunte Codice, Honorius ac Theodosius, docente illud ad Anthemium

mium